

Christoph Martin Burchard

**Programma Qvo Academiæ Rostochiensis Rector Christoph. Martinus
Burchardus ... Viri ... Domini Hans Goltermanni, Senatoris Hujus Urbis
Gravissimi, Et Mercatoris ... Exeqvias Abs relicita moestissima Vidua publice, Die
XVI. Januarii Anni MDCCXXXIII. habendas, Proceribus Ac Civibus Academicis O.
O. Honoratissimis indicere, Et Memoriam Viri Beati qua par est humanitate
commendare voluit**

Rostochii: Typis lo. Iac. Adleri, [1733]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793939659>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Probstes Prachturth-Programmen, meist
Festabfälle in Probstes Lüngwollegau Sammlung best.
Großen Hrld und dem erftzugebenen Jagdzündet.
Ortsbezeichnung gewandt.

Litr. A - K.

Im Juni 1859 unter dem Vorzeichen des Gez. Hofvortz Pöper
zu Güstrow vermessen.

(Zurück auf die Sammlung v. Klein, v. Krakevitz u. Or.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3 I-4°



Ran.
W33.

- F. A. Aepinus, +1757.
A. Ahrend, +1730.
Anna Kohl, n. Amel. +1709.
Cath. Amel, vid. Heinrich +1725.
Magd. Anna ux. O. P. Möller +1733.
J. H. Balcke, +1778.
J. H. Becker, +1774.
P. Becker, +1753.
J. J. Bentzen, +1725.
Cath. Marg. Beselin, vid. Jac. Burgmann +1734.
Just. Reg. Beselin et Ann. El. Stever, vid.
Ch. M. Stever. Rost. +1742.
V. J. Beselin, +1755.
Cath. Blocksdorff vid. Wic. Pfiffer, Ann. Sophie Eggerdes, ux. G. Ch. Handwig +
+1715.
Cath. Burchard, n. Bourquand, +1740.
Ch. M. Burchardt +1742.
Jac. Burgmann, +1724.
J. H. Burgmann, +1748.
J. P. Burgmann, +1775.
J. Carmon, +1743.
J. H. Garbers, +1731.
J. F. Celle, +1729.
P. Ciese, +1746.
Ann. Cath. Coch +1726.
G. Crause, +1723.
Ch. Crull. +1748.
J. F. Crull, +1757.
J. A. Curtius, +1740.
J. Ch. Danckwartz, +1755.
Anna Decker, conj. Niemann, +1739.
G. Detharding, +1747.
Gert. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.
Agn. Doercks, conj. F. A. Aepini, +1736.
Ch. Doercks, nunn. Nettelbladt, +1753.
Marg. Doercks, nunn. Ließ, +1755.
J. A. Diwe, +1728.
+1743.
Balth. Joh. Eggerdes, +1718.
Math. Hinr. Eggerdes, +1722.
J. L. Engel, +1758.
H. A. Engelcken, +1734.
H. Ch. Engelcken, +1742.
J. F. Eylers, +1749.
Chr. El. Fuerspi, vid Ch. R. Holten, +1734.
Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrand, +1742.
Hel. de Klein, nat. Gerdien, +1720.
P. Gerling, +1778.
H. Goltermann, +1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.
Alb. Gleins, + 1733.
Math. Ber. Hering, + 1750.
G. Herkepaus, + 1745.
Cath. Mar. Eyller, geb. Küllen, + 1754.
Ann. Soph. Holsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.
El. Koppe, nimm. Crull, + 1766.
Ann. Hedw. Korn, conj. V. J. Beselin, + 1730.
El. J. Görck, + 1728.
Joh. Joach. Görck, + 1729.
P. Chr. Kämpfer, + 1755.
Joh. de Klein, + 1732.
Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Beselin,
+ 1726.
Urn. Marg. Knefbeck, conj. H. Goldmann,
mann, + 1738.
A. S. Knefbeck, nimm. Koppen, + 1747.
D. H. Koepcken, + 1731.
G. W. Koepcken, + 1732.
F. C. Rohl, + 1738.
Anna Rorsholt, vid. J. Lindemann,
+ 1743.
A. J. v. Krackevitz, + 1732.
J. Krauel, + 1750.

57

PROGRAMMA
ACADEMIÆ RÖSTOCHIENSIS
RECTOR
**CHRISTOPH. MARTINUS
BURCHARDUS,**
Med. D. ac Prof. P. O. Facultatis suæ Decanus,
VIRI
PRÆNOBILISSIMI AC PRUDENTISSIMI
DOMINI
**DOMINI HANS
GOLTERMANNI,**
SENATORIS HUJUS URBIS GRAVISSIMI, ET
MERCATORIS FELICISSIMI AC PRÆ-
STANTISSIMI,
EXEQVIAS
Abs
relicta moestissima
VIDUA
publice,
Die XVI. Januarii Anni MDCCXXXIII. habendas,
PROCERIBUS AC CIVIBUS ACADEMICIS
O. O. HONORATISSIMIS
indicere,
ET MEMORIAM VIRI BEATI
qua par est humanitate
commendare voluit.

R O S T O C H I I ,
Typis IO. IAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typographi.




D triste officium denuo redeundum

mihi est, Cives Honoratissimi, & Funus Vobis
indicendum, Viri quondam Primarii, non solum de
Mercatura, sed etiam de publica re bene meriti: Ra-
puerunt enim nobis sinistra fata Virum Prænobis-
lissimum, Amplissimum, ac Prudensissimum, DN.

HANS GOLTERMANNUM, Mercatorem quondam
felicissimum, ac Senatorem hujus Urbis Gravissimum: Mercatorem
Vobis dum commemooro, de Republica bene meritum, non possum
non obviam ire illorum opinioni, qui existimant, quasi Mercatori-
bus nihil debeat Respublica; non enim istos studere publicæ utilita-
tis, sed unice, ut suis inserviant commodis; horum proprium esse,
perpetim inhiare lucro, ita, ut non solum, si in potestate sua sit, pre-
zia rerum ultra modum augeant, sique eo felicius aliorum ad se tra-
hant fortunas, sed etiam ut vestigaliorum inspectores deludant, dum
viliores merces horum oculis exponant, pretiosioribus artificiose ce-
latis; ut adeo Mercatores non tantum utilitati privatorum, sed &
publicæ rei damnos existant. Errant autem quammaxime, qui ita
de Mercatura sentiunt, vel non satis apti censores, dum rem to-
ti generi humano utilissimam damnant, vel ex invidia judicium fe-

A 2

runt,



runt, omnia ex privata sua utilitate æstimantes. Non enim difficile erit demonstrare, Mercaturam Animam quasi esse totius Reipubl. ita ut vitam, vires & succum omnibus præbeat membris: & hinc observamus, quod omnes Status omnesque Civitates, in quibus nulla exerceantur commercia, in miserrima vivant conditione, ac corpori, tate consumpto, simillimæ existant. „ Mercatura, inquit Marquardus, (*) vena est, ex qua in magna illa Corpora omnis succus ac sanguis dimanat; & commercia, Reipublicæ veluti ubera, ex quibus publicæ privatæque res aluntur, foventur & ornantur. Et sane si proprium tantummodo commodum rite considerare vellent, qui adeo limis oculis Mercatorum fortunas intuentur, invidi censores, multis rebus, ad vitæ felicitatem facientibus, carendum ipsis foret, si mercatura destituerentur. Hæc enim est, quæ nobis suppeditat omnia, quæ ad amictum & ornatum corporis faciunt, quæ palato, quæ sanitati inserviunt; sine quibus si essemus, miserrime degenda foret vita. Hæc denique exportando istas merces; quæ apud nos abundant, aliorum, qui ipsis carent, indigeniae subvenit, & vicissim divitias infert, ac nervum rerum gerendarum subministrat, adeoque non sibi soli, sed omnibus fructuosa existit. Manifestum de veritate hujus rei documentum præbet præsentium temporum calamitas, mercaturæ minus favens, & propterea omnibus damno: Nunquam hac hominum æstate, in nostris terris major pecuniæ raritas, nunquam à ruricolis frequentiores auditæ sunt querelæ; non quod ager spem Colonorum destituat, sed quod ipsis, quas gratus reddidit, fruges, divendere non possint. Itaque non sibi tantummodo inservit Mercatura, sed omnibus opes affert; imo adeo æqua existit, ut plus largiatur, quam lucretur ipsa, vera Reipublicæ Anima, sine qua nil aliud illa est, quam miserum corpus, & brevi defluxurum caderet. Felicem equidem Rempublicam Plato voluit, in qua omnes Civies sint Philosophi: sed quis est, qui non videt, illum vel Philautiæ, vel imaginationi magis indulsisse, quam rectæ rationi? Cum enim quodlibet negotium, vel opificium, integrum hominem postulet, multo magis Studia istiusmodi speculativa talem desiderant; ut propterea iste, qui studiis animum serio applicat, reliquis negotiis, manuumque laboribus, vacare non valeat. Quis ergo agrum coleret, aut ligna sterneret, parando foco, aut ædificiis exstruendis necessaria, quis victui aut amictui subministraret subsidia? ut propterea in fumum brevi abitura sit Respublica talis cerebrina. Non omnes homines ex eodem luto formavit Summum Numen, sed aliis roboris multum, aliis cum infimo corpore plus ingenii dedit: Hi consiliis, illi iisdem exequandis, magis valent. Et ut ingenia quædam magis Studiis speculativis, alia Practicis, aut etiam Artibus mechanicis magis apta sunt, sic hanc diversitatem DEus O. M. pro summa sua sapientia introduxit, ut commune magis ac firmum intercederet inter humanum genus vinculum, cum alter alterius indigens, eo ipso magis invitetur, mutuam sibi præstare opem ac industriam. Interim nullum in universa Republica magis utile est negotium, præter Mercaturam: Præterquam enim, quod præcipue facit ad vitæ commoditat-

(*) De Jure Mercatorum Cap. II. §. 59.

tem, omniumque rerum ac divitiarum abundantiam, etiam sola est, quæ societatem generis humani per totum terrarum orbem sustentat. Cum enim non omnis terra omnia subministret, quæ ad necessitatem, aut utilitatem hominum requiruntur, hinc coacti quasi sunt, ex aliis regionibus afferre, quibus destituuntur, & cum suis, quibus abundant, commutare. Id quod non sine singulari DEI providentia factum fuisse, certissimum est: nam eo ipso consociantur saepe longe distae nationes, ut se contra potentiores defendant, quoniam altera alterius commercio carere nequit. Hoc agnoscens D. GREGOR. (*) Poterat, inquit, unicilibet Regioni fructus omnes tribuere Deus: sed, si unaquaelibet regio alterius fructu non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Non enim solum ad vitæ commoda ac fortunas augmentandas, confert Mercatura, sed etiam ad ipsam humanitatem, ut homines reddantur magis morati, ac politi, imo ipsa studia melius efflorescant; & quod omnium maximum, ut ipsa DEI Ecclesia eo melius propagetur. Sic prima Christianæ Religionis in Livonia semina sunt sparsa à Lubecensibus ac Bremensibus, postquam potestatem ab incolis obtinuerant, ut Sacellum in Insula Dunæ extruderent, quem admodum id refert Marquardus. (**) Et quamvis in plerisque Indiae utriusque Regnis adhuc regnet vel Idolatria, vel Mahometana Religio, non tamen accusandum est Summum Numen, cum occasio istis populis non desit, ut agnoscent verum DEum, & quomodo sit colendus, sed propria obstet pertinacia. Nolo jam inquirere, an pravi Europæorum mores, an potius crudelitas Hispanicæ Inquisitionis, quam in Indiam introduxit ad superstitionem usque credula ista gens, impedimentum conversioni Ethnicorum attulerit. An denique prohibita apud Christianos Polygamia Regibus Orientis minus ad Pallatum fuerit? in qua re, cum Orientalis nimium quantum ipsi dediti sint, annon indulgeri genio ipsorum possit, exempla Davidis ac Salomonis evincere videntur. Ait hoc examen nos nimium abduceret à nostro scopo. Id interim certissimum, multos ex errore ac caligine Religionis Ethnicae ad Lucem Evangelii quotannis accedere, & plures forte secuturos, nisi ob rationes politicas id ipsi impiderent Belgæ: Metuunt namque conversionem suorum mancipiorum, quibus pecorum instar ad vilissimos gravissimosque labores utuntur. Siquidem Legibus publicis cautum est, ut haec mancipia, eo ipso momento, quo Christianismum amplectuntur, manu mittantur. Hinc nullos Sacerdotes illuc deducunt, nec publicam in Coloniis suis verbi divini prædicationem permitunt, imo ne quidem liberi Belgarum, illic in lucem editi, Sacro Lavacro adsperguntur, nisi forte ex Missionariis Regis Daniæ aliquis adueniat, qui hoc officium præstet ipsis, saepe jam ad Adolescentiæ annos delatis. Nostrum non est in hanc consuetudinem animadvertere, cum primarius Mercaturæ finis non sit, conversio populorum, sed mercium communicularum ratio, & Reipublicæ incrementum, adeoque sufficiat minimisse, quod per accidens tamen Mercatura conferat ad Ecclesiæ propagationem. Primario enim nostra oratio eo dirigitur, ut ostendamus, eam esse quasi Animam Republicæ, & non solum istos, qui

B

Merca-

(*) Ezechiel. Homil. 10.

(**) Cit. Liber. Cap. II. §. 24.

Mercaturam exercent, exinde ditescere, sed in omnes totius urbis cives, aut integras nationes, fructus ac commoda ejus redundare. Nulla certe Respublica est, nulla Urbs, commerciis florens, quæ non divitiis, magnificentia, & rerum omnium ubertate abundet. Ubi autem hæc adsunt, ibi necessario & Artes quælibet, & ipsa etiam Studia florent ac excellunt, ut propterea omnis ordinis, omnis conditionis hominibus illic bene sit. Si exempla quis desideret, præcipuæ Germaniæ Urbes id aperte testantur, Noriberga, Augusta Vindelicorum, Francofurtum ad Moenum, Uratislavia, &, quam prius nomine debuisse, Albis fluvii gloria, Nobilissimum Hamburgensem Emporium. Nam ut istæ urbes præ cæteris Mercatura florent, sic etiam Artificum Selectissimorum, imo & Eruditorum copia ac fama tantum superant reliquas.

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.
Si vero rationes quærimus? non difficile est istas reperire. Frigent enim necessario cum Studia, tum Artes nobiliores, in istis locis, in quibus digna laborum suorum proemia non inveniunt; imo brevi ad peram ac baculum ipsis redeundum foret, quæ olim erant Cynicorum Philosophorum insignia. Hinc in Academiis certa constituta Docentibus sunt salarya, quibus se studiaque sua sublevare possint. In prædictis autem Urbibus, amplissimus Eruditis patet accessus ad Officia, cum Ecclesiastica, tum Civilia, ut vel in Magistratum adoptentur, vel Causarum agant Patronos, aut Medicam exerceant Artes; imo etiam isti, quibus minus favens obtigit fortuna, vel docendo ingenuam juventutem, parentum provocare norunt liberalitatem, ut non opus ipsis sit, cum Poeta

Pallere, & vinum toto nescere Decembri.

Taceo alia Studiorum subſidia, Biliopolarum instructissimas Officinas, Bibliothecas cum publicas, tum privatas, rarioribus & pretiosissimis libris refertas; quæ enim alibi vel rarius aut nunquam Eruditorum manibus terenda obveniunt scripta, in hisce locis abunde proſtant. Artes vero etiam illic florere, quid mirum? cum nihil adeo rarum excogitari, aut magnifice elaborari possit, quod in istis Emporiis ditioribus emptorem non inveniat: Nullibi superba magis & sumtuosa extruuntur ædificia, omnis generis pretiosa supellectili splendidissime, & fastu fere Regio, abunde adornata, ut non Mercatores illic habitare, sed Principes crederes. Hinc jam in Sacris Literis Mercatores Tyri urbis, ob magnificentiam istam, Principes vocabantur. Non autem sibi tantum in domesticum usum emunt pretiosa ista, & rariora opifcia, Mercatores, sed etiam aliorum transmittunt, & quæcum exinde faciunt, adeoque artifices nunquam destituuntur emptoribus, qui industriam suam digne satis remunerare norunt.

Nullibi autem Mercimoniorum gloria magis excrevit, quam in Magna Britannia ac Belgio Foederato: Vix enim ulla in orbe terrarum regio occurrit, quam navibus suis non adeunt, aut si propter invidiam Dominorum excludantur, commerciis tamen eorumdem se ingerere norunt, ut suam exinde lucentur partem. Exemplo fit ditissima illa Hispaniarum Classis, quæ quotannis auro argento, aliisque pretiosis onusta ex India Occidentali reddit; Hæc enim

plerum-

plerumque plus utilitatis Anglis Belgisque afferit, quam Hispaniae Regno. Quapropter etiam *Comicus Italus* Hispaniam comparat cum sene deponano, qui uxorem juvenculam quidem domi alat, sed cuius amoribus fruantur vicini. Itaque apud duas istas nationes Mercatura ad summum deducta est fastigium, nec ullum Regnum aut Respublica occurrit, cujus subditi tanta divitiarum affluentia & rerum omnium, quae ad felicitatem humanam faciunt, abundantia gaudent. Et quoniam agnoscunt, in sola Mercatura, ejusque securitate, cardinem rei versari, hinc tota ratio Status ipsi innititur, ut vel bella gerant, ac inferant, quoties Mercaturæ vis infertur, vel foedera pangant, ut hujus consulant securitati. Non potest mente capi, aut verbis digne exprimi, quantum divitiarum exinde vel ad solos *Belgas* affluat: Halem cum capture, post deductas impensas, quotannis lucrum afferit VI. millionum aureorum Hollandicorum. Hoc vero nihil est respectu reddituum, quos ex negotiatione Indiae Orientalis sibi acquirunt *Belgæ*. Nam quamvis isti à nemine, nisi ab ipsis Societate negotiatoribus tam accurate determinari possint, conjectura tamen quodammodo illuc pervenire licet. Nam cum primi, qui Societati nomen dedere, VI aureorum Hollandicorum millionibus negotium illud aggrederentur, post triennium, deducto ære, quod contulerant, cum usuris consuetis, lucrati erant XL. millions. Longe magis certa itaque est *Belgarum* ista methodus multiplicandi aurum, quam *Chemistarum* illa, mediante decantato *Lapide Philosophorum*, nullibi, nisi in *Thomæ Mori Utopia*, aut mororum patria, reperibili. Cæterum cum ex adeo tenui initio intra triennium ad adeo amplas pervenerit opes hæc Societas, haud difficulter apparet, ejus proventum in immensum auctum esse, post tot annorum perpetuum florem; imprimis cum tandem integra in Oriente Regna sub potestatem suam redegerit, aut reddiderit sibi tributaria. Nam quos nunc ad negotium hocce sustentandum Belgæ quotannis impendunt sumptus, plus quam Regios postulant redditus. Siquidem & Gubernatorem Generalem illic alunt, Regia dignitate ac magnificientia insignem; & tam ingentem armatorum ac navium bellicarum numerum, ut hæc Societas sola vel Maximis & Potentissimis Regibus potestate armorum par sit, aut superior. Hosce autem immensos sumptus non ad vanam ostentationem faceret sagax illa, & parsimoniae alias studiosissima Natio, nisi lucrum, quod ex hac negotiatione hauriunt, impensas istas longissime superaret. Quamvis autem cum Anglia tum Belghum Foederatum præ cæteris Nationibus omnibus mercimoniorum gloria excellant, & publici Status ratio in eo primario versetur, ut commercia sua salva sint, aut latius extendantur, tantum tamen abeat, ut Studia & Artes illic negligantur, quin potius nullibi lætius efflorescant, lautissimis proemiis invitata, ac suffulta. Imo ipsi Mercatores, Amstelodamenses certe, Studia cum negotiis gratissimo fœdere jungunt, & horas, quas mercaturæ subtrahere possunt, Professorum Collegiis impendunt, adeo, ut vix aliquem ex Optimatibus invenire illic liceat, qui non in Theologia, Scientia Naturali, Politica, Jure Publico, Arte nautica, Studioque linguarum, exercitatus sit, & saepe insigniter peritus. Itaque Mercatura non suis tantummodo cultoribus

toribus utilis est, sed in omnes omnino incolas grata & munifica, vera Reipublicæ Anima, solaque sufficiens, ut omnes amplissimi corporis artus, ipsaque potissimum Studia & Artes, vitam, sustentationem, ac incrementum suum experiantur. Quibus emolumenis si adjungamus publica ista, & splendidissima ædificia, in quibus cum Orphani, tum senes decrepiti, ac pauperes, recipiuntur, ac denique ergastula, perditis hominibus ac lascivientibus dicata, quibus nec Hamburga, nec Lubeca destituuntur, facile appareat, nullum plane negotium esse, quod magis florentem reddat Rempublicam, præter Mercaturam. Certe si hac ipsa non fruerentur Belgæ, ne centesimum quidem incolarum numerum alere posset Regio ista, præter lacticia & caseos, quos ruricolæ subministrant, omnibus ad vitam necessariis destituta. Hinc ipsi Belgæ sæpe in ore habent, se, quoniam nihil habeant, propterea habere omnia. Nam cum ipsis omnia deficiant, hinc coactos fuisse, instituere commercia, quorum adminiculo obtinuerint omnia, ut plus auri ac argenti in sola urbe Amstelodamensi sit, quam in omnibus fodinis ex quibus hæc metalla eruuntur.

Cum itaque tot beneficia ex Mercatura fluant, male Princibus consulunt Ministri, qui Mercatoribus infensi, vectigaliorum excessiva augmentatione illorum conatus impediunt. Certe dum nimium student Principis ærario, plus ipsi officiunt, quam prosunt. Coercita namque commerciorum libertate, imminuitur etiam illorum frequentia, adeoque etiam redditus ex vectigaliis profluente. Hinc observamus, quod longe felicius in Libera Republica efflorescat Mercatura, quam in ipsis locis, quæ dura tyrannide premuntur. Præterea perpendendum, quod divitiæ, ex commerciis sperandæ, non in solos, ut ostendi, redundant Mercatores, sed in omnes incolas: nam & vilissimi quique, modo manuum ac pedum officia Mercatoribus præstere velint, exinde lucrantur. Quemadmodum autem hi ipsi ex quotidiana mercede suum obolum ad statum publicum, & æarium Principis vicissim confertunt, sic contra, impedita commerciorum libertate, otio & paupertate torpentes, inutilia redduntur membra, imo Reipublicæ gravia, dum mendicos agere, aut ad nefarias artes animum applicare coguntur.

Cum itaque nemo, nisi invidia vecors, negare possit, Mercaturam præcipuam columnam esse, quæ publicum Statum sustentat, hinc ipsi quoque Mercatores justa sua laude ac debito honore non sunt defraudandi. Merito ergo gratum animum testamur erga Nostrum beatæ demortuum, quoniam per totam vitam suam nihil intermisit, quod ad commerciorum florem, in nostra quoque urbe augmentandum, conferre sciret, nullis, quamdiu ætas, aut Officii Senatorii ratio id permisit, laboribus parcens, nullis periculis territus: nam in juventute toties se fortunasque suas infido committere pelago non dubitavit, ut eo melius perspecta haberet loca ac ingenia illorum, cum quibus fibi res esset, & concivium excitaret industrias: non solum propterea omnibus charus, sed imprimis Magistratui, qui ipsius prudentiam in Centumviratu, aliisque civilibus officiis, toties perspexerat, gratus & acceptus, ac tandem dignus judicatus, quem Ordini suo adscriberet.

Natus

Natus autem is ipse est, in Anglia Cimbrica, & quidem in Prædio GOLDHOFF, Die XXVII. April. Anni MDCLXV. in Sacro Lavacro HANS GOLTERMANNUS dictus. Pater ipsius JASPARUS GOLTERMANNUS fuit, Lubecensis; cuius fata, ut paulo plenius commemoremus, omnino merentur. Hic enim in puéritiæ annis Parentes suos, Peste sibi erectos, & simul fortunas suas omnes, acerbe dolens, à Comite Ranzovio, tunc temporis Lubecæ degente, humanissime invitatus, in prædagogium Nobilium Puerorum, quos in sua familia alebat, recipitur. Cum autem postmodum Illustrissimus Comes Haffniam abiret, & JASPARUM secum illuc deduceret, singulari fortuna factum, ut hic ipse à Rege Daniæ CHRISTIANO IV. inter reliquos Pueros Nobiles, quos Ministerio Principis sui FRIDERICI destinabat, simul eligeretur. Cum enim huic Principi continuo esset à latere, non tantum tunc temporis ejus favorem sibi conciliavit, sed postea etiam, cum ad Regium Fastigium ascenderet iste, FRIDERICI III. nomine notissimus, constantem semper hujus gratiam est expertus; Præterquam enim quod ab ipso ad Dignitatem Chiliarchæ Secundarii, sive Legati, evehetur, prædiū quoque prædictum GOLDHOFF magnificentiæ Regiæ munus habuit acceptum. Et sane plura à Gratiissimo Rege sperare potuisset; nisi secessum istum & animi quietem præferre maluisset vitæ Aulicæ, & lubricis ipsius deliciis. Is JASPARUS itaque, Nobili Matrona in Matrimonium duxa, duas filias, totidemque filios suscepit, Paternæ virtutis æmulos. Nam & vitam militarem elegere, & officia sua addixere Regi Hispaniarum, tanta fortitudinis fama ac gloria, ut dignitate Generalis Majoris fuerint ornati. Post mortem Conjugis, ad secunda vota transiens JASPARUS, thori sociam sibi elegit Matronam, viduamque honestam, ac sexus sui ornamentum, ABELAM GUNLINGHOFIAM, natam JUNERIAM, cum qua sex liberos progeniuit, tres masculos, tresque femellas, ex quibus Noster, HANS GOLTERMANNUS, quintus in ordine fuit. Nihil intermisere optimi Parentes, quod ad formandum Filii animum ac mores facere posset, eumque in finem istum KILIAM Holsatorum transmisere, ut & fundamenta pietatis & linguarum illic addisceret. Ast cum animus ipsius natura pronus esset ad vitam magis negotiosam, & mercatoriam, valedictis Musis, HAMBURGUM concessit, & operam suam addixit REINHOLDO GUNLINGHOFI, Mercatori Celebri: Transactis autem strenue tyrocinii annis, ab alio ejusdem Urbis Mercatore, HEINE REIMANNO, alleatus, oblatas conditiones eo lubentius accepit, ut diversa commerciorum genera addisceret, & in posterum pluribus par esset expediendis: id quod etiam successu non caruit felici. Nam cum Anno MDCLXXXIX. DNI PETRI STOLTENII, Mercatoris quondam hujus Urbis Nobilissimi, Felicissimique, relictæ VIDUA, aliquem quereret, quem commerciis suis præficeret, Noster præ ceteris dignus habitus fuit, cui negotiorum istam molem & fortunas suas committeret: Quibus etiam tanta cum assiduitate ac prudentia præfuit, ut post sexennium feliciter exactum, illa non dubitaverit ipsius votis annuere, eumque in suam adoptare familiam. Cum enim Noster tanquam labo-

C

rum

rum suorum proemium; sibi in Matrimonium expeteret Virginem & pulchritudine & morum elegantiā eximiam, ANNAM MARGARETAM KNESEBEKIAM, Prænobilissimi ac Prudentissimi DNI CHRISTIANI KNESEBEKII, Senatoris quondam & Camerarii hujus Urbis Gravissimi, & longe Meritissimi, Filiam, Patronæ suæ sororem dilectissimam, consentientibus & STOLTENIA, & reliquis Agnatis, illam obtinuit, & Anno MDCLXXXV. Die II. Julii nuptiis publice celebratis, eandem domum duxit. Cum qua etiam per tot annos amanter & conjunctissime vixit, ac non pauca suscepit mutui amoris pignora; nimirum.

CHRISTIANUM JOHANNEM, Optimum juvenem, & Mercaturæ strenue Lubecæ vacantem: quem tamen, cum Anno MDCCXVII. infeli ci sidere Lubeca solveret, subsidente nave cum omnibus vectoribus, undis haustum ac submersum, acerbe doluere afflictissimi Parentes.

ANNAM MARGARETAM.

WENDULAM, quam postquam septimum ætatis annum attigerat, Anno MDCCVII. ad cœlites avocarunt fata,

GEORGIUM.

SOPHIAM, quæ triennio exacto, Anno MDCCVII. ad plures abiit. Et denique

HANS CASPARUM, statim in prima infantia rursus extinctum.

Itaque ex satis foecundo hocce Conjugio non nisi bini superfuere, prædictus GEORGIUS, paternæ virtutis & commerciorum hæres; Cui Vitam & fausta quælibet appreciamur, &

ANNA MARGARETA, Matrona, omnibus, quæ sexum Elegantiorem commandant, dotibus virtutibusque abunde ornata: quæ Anno MCCXX. nupsit Viro Experientissimo & Præ-Nobilissimo DN. JOHANNI QVISTORPIO, Medicinæ Doctori, & Practico hujus Urbis Famigeratissimo, ac Fellcissimo; Ex quo Conjugio Beatus Noster duas Neptes, ac totidem Nepotes vidit, & lætatus est.

MARGARETAM ELISABETHAM.

ANNAM SOPHIAM.

JOHANNEM BERNHARDUM &
JOHANNEM GEORGIUM,

Postquam autem noster, inter Cives hujus Urbis receptus, ampliorem occasionem nunciseretur, omnibus suam probare & dexteritatem, & in negotiis exercendis peritiam prudentiamque, non solum Centumviris statim adscriptus est, sed etiam variis admotus Officiis, imprimis inter Juratos, qui Ecclesiæ Jacobææ præsunt, advocate. Quibus cum pari affiditate ac fidelitate præcesset, dignus tandem judicatus fuit, quem Senatoria ornarent dignitate, adeoque
Anno

Anno MDCCXVII. à Patribus Conscriptis adscitus, in Magistratum introductus est. Huic Gravissimo Muneri, quamdiu ætas & vires corporis id pernisiere, non minori sedulitate, quam probitate præfuit. Nam quamvis alias magno, specioso, ac robusto corpore gaudenter, optimaque per totum fere vitæ decursum frueretur sanitatem, ita nullis unquam negotiis ac laboribus succumberet, senectutis tamē infirmitati, &, quæ eam plerumque comitantur, malis resistere tandem non potuit. Itaque ante annum, aut quod excurrit, domi se continere fuit coactus, dubia fruens valetudine, donec variis malis fatigatus ac fructus, cum ipso hujus Novi Anni exordio, Die I. Januarii Hora VII. vespertina, non sine suorum, imo & communī luctu, extingueretur. De genere autem Mortis audiamus ipsum, qui curam ejus gessit, mox laudatum ipsius Generum, Experientissimum ac Præcellentissimum D. QVISTORIUM, Amicum Nostrum longe æstimatissimum, ita differentem:

Beatum sacerum meum variis ac pericolosis morbis per integrum annum fuisse afflictum, omnibus erit notum imo notissimum; Singulos autem in præsentiarum recensere, nec moeror, nec tempus permittunt. Meminisse sufficiat, illum, post recuperatam aliqualem per DEI gratiam sanitatem, ex improviso Asthmate primum humido, mox suffocativo esse correptum, cui licet omnia, ex Arte buc facientia, fuerint adhibita, tandem succumbere debuit: Sit memoria ejus in benedictione.

Habemus Cives Optimi, hic iterum exemplum fragilitatis humanæ, & quod nec robur corporis, nec Dignitas Personarum, nec denique fortunæ dona & opes nos immunes reddant à morbis, aut Naturæ dura Lege, quæ, quamprimum Fata jubent, nos avocat & morti tradit. Hanc Fatorum necessitatem probe perpendens Noster, postquam à pristino vigore corpus deflexit, mortem mature meditatus est, ut cum ultima appropinquaret hora, tranquillo ac imperterritō animo ipsi obviam iret. Hoc autem cum nemini Mortalium liceat, nisi vero Christiano, qui spem ac fiduciam suam omnem ponit in Merito Salvatoris nostri, hinc etiam Beatus Noster in isto unice suum quæsivit refugium, & propterea frequenter in ore animoque habuit sequentes Hymni Ecclesiastici rhytmos: Ich dein betrübtes Kind, werff alle meine Sünd' ic. His ahimum erexit, his eum confirmavit, certo confidens, damnationis reos non esse, qui in vulneribus JESU CHRISTI tutum invenerint asylum.

C 2

Hoc

Hoc optimum Conscientiae læsæ est Antidotum, & securum contra Satanæ insultus præsidium. Hujus itaqve dulcedine captus Noster mundana qvælibet negligebat penitus, sola futura præmeditabatur & avide expetebat, toties in hæc verba prorumpens, Mach mich an meiner Seelen reich, so hab ich genug hier und ewiglich.


Appropinquantab tandem fatalis hora, adeoqve desiderabatur præsentia Viri summe Reverendi ac Præclarissimi DNI BECKERI, Pastoris Jacobæ ac Mathesos Professoris Vigilantissimi, ac Celeberrimi, cui à pluribus annis Animæ curam demandaverat Noster. Verum cum is, ipse morbo impeditus, morienti adesse non posset, vices ejus suscepit Summe Reverendus Doctissimusqve DN. SCHOTTERUS, S. Theologiæ Doctor, & ad Ædem D. Jacobi, Archidionus longe Meritissimus, & in extremis constituto, precibus ac consolatione fideliter adstitit, nec morientem deseruit, priusqvarum soluto corporis vinculo, Anima in libertatem esset vindicata.

Nostrum vero est, CIVES HONORATISSIMI, imitari hocce exemplum, & mature præmeditari Mortem. Hæc enim certissima est, tempus vero Mortis incertum.

Longius aut proprius mors sua qvemqve manet.
Itaqve videndum, ne imparatos nos opprimat, cum nemo eam habeat in potestate. - Beato vero Nostro GOLTERMANNO, ut ultimum humanitatis ac amoris officium testemur, & freqventi Comitatu ipsius exuvias efferamus, ejus in rem publicam merita suadent postulant.

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI
IPSO EXEQVIARUM DIE
XVI. JANUAR. ANNI MDCCXXXIII.









e plus utilitatis Anglis Belgisque assert, quam Hispaniæ
 Quapropter etiam *Comicus Italus Hispaniam* comparat cum
 ntano, qui uxorem juvenculam quidem domi alat, sed cu-
 bus fruantur vicini. Itaque apud duas istas nationes Mer-
 summum deducta est fastigium, nec ullum Regnum aut Re-
 currunt, cuius subditi tanta divitiarum affluentia & rerum
 quæ ad felicitatem humanam faciunt, abundantia gaude-
 quoniam agnoscunt, in sola Mercatura, ejusque securitate,
 rei versari, hinc tota ratio Status ipsi innititur, ut vel bel-
 , ac inferant, quoties Mercaturæ vis infertur, vel foedera
 ut hujus consulant securitati. Non potest mente capi, aut
 ne exprimi, quantum divitiarum exinde vel ad solos Bel-
 gos: Halecum capture, post deductas impensas, quotannis lu-
 rt VI. millionum aureorum Hollandicorum, Hoc vero ni-
 pectu redditum, quos ex negotiatione Indiæ Orientalis sibi
 Belgæ. Nam quamvis isti à nemine, nisi ab ipsis Societa-
 ioribus tam accurate determinari possint, conjectura ta-
 dammodo illuc pervenire licet. Nam cum primi, qui So-
 men dedere, VI aureorum Hollandicorum millionibus ne-
 lerentur, post triennium, deducto ære, quod
 usuris consuetis, lucrati erant XL. millones.
 itaque est *Belgarum* ista methodus multiplicandi
 nistarum illa, mediante decantato *Lapide Philo-*
i in *Thomæ Mori Utopia*, aut mororum patria, re-
 dum ex adeo tenui initio intra triennium ad adeo
 pes hæc Societas, haud difficulter appetet, ejus
 nsum auctum esse, post tot annorum perpetuum
 tandem integra in Oriente Regna sub potesta-
 aut reddiderit sibi tributaria. Nam quos nunc ad
 entandum Belgæ quotannis impendunt sumptus,
 ostulant reditus. Siquidem & Gubernatorem Ge-
 Regia dignitate ac magnificentia insignem; &
 torum ac navium bellicarum numerum, ut hæc
 ximis & Potentissimis Regibus potestate armorum
 . Hosce autem immensos sumptus non ad va-
 faceret sagax illa, & parsimoniae alias studiosissi-
 um, quod ex hac negotiatione hauriunt, impen-
 uperaret. Quamvis autem cum Anglia tum Bel-
 gæ cæteris Nationibus omnibus mercimoniorum
 publici Status ratio in eo primario versetur, ut
 a sint, aut latius extendantur, tantum tamen ab-
 tes illic negligantur, quin potius nullibi latius
 imis proemiis invitata, ac suffulta. Imo ipsi Mer-
 menses certe, Studia cum negotiis gratissimo foe-
 noras, quas mercaturæ subtrahere possunt, Pro-
 impendunt, adeo, ut vix aliquem ex Optimatibus
 qui non in Theologia, Scientia Naturali, Politica,
 nautica, Studioque linguarum, exercitatus sit, &
 tuts. Itaque Mercatura non suis tantummodo cul-
 toribus

B 2

toribus

